

posset. Lautrechius Imperator in Italiam designatur, qui summa auctoritate universis foederatorum copiis praesesset; atque quo celerius, & accuratius omnia perficerentur, Lugdunum se profecturum Rex decreverat, ut propius imperio, & auctoritate praesto esset. His de rebus per cubicularium Laoni dominum Senatum certiorum fecit, qui Lautrechii adventantis nuntium pertulit. Petrus Pefareus Divi Marci Procuratoriae dignitatis orator ad Lautrechium mittitur. Dum Gallica expeditione Italorum Principum animi spe pristinae recuperandae dignitatis confirmantur, Caesaris milites, qui Romae adhuc detinebantur, quamvis Hispano milite, qui ex regno Neapolitano advenerat, ad quatuor & viginti millia peditum aucti essent, otio, ac libidine fracti, atque in omnem licentiam provoluti nullum egregium facinus adoriebantur: non Ducum imperia audire; non militaria munera obire; undique insolentia, nimiaque libertate diffluere. Interamniam, & Harniam oppida nonnullae Germanorum cohortes tantummodo foeda direptione crudeliter vastarunt. Spe Romanae urbis recuperandae amissa, foederatorum copiae discesserant, atque in Senensem agrum se receperant, eo consilio, ut Florentinorum rebus, animisque confirmatis, facilius Respublica ad foedus denuo fanciendum alliceretur; cum praesertim exercitu, qui non longe aberat, ac Caesareanorum minis trepida civitate, multorum civium nutarent animi, veriti, ne quod ad hostes Caesaris accessissent, illatae injuriae ulciscendae studio flagrarent; quo metu a foederatorum copiis discusso, in societatem coiere; ea adjecta conditione, ut stipendium in quinque peditum millia erogarent, qui reliquis foederatorum copiis jungerentur; cum magnopere ad rei exitum expedire constaret, si equite, ac pedite instructus exercitus in Hetruria adesset, qui & distingere hostes, & Florentinorum fines protegere, Pontificisque ditiones, quarum gentes ob Clementis casum rebus novis studere videbantur, in fide retinere posset.

1527
Lautrechius foederatorum exercituum imperator.

Petrus Pefareus a Senatu ad Lautrechium missus.

Caesariani milites Romana otio, & libidine fracti.

Interamniam & Harniam a Germanis direpta.

Foederis cum Florentinis renovatio.

Venetorum exercitus in Hetruria sub Urbinae imperio.

Quae vero ea tempestate Venetae Reipublicae facies esset, hinc inspicere licet. Primum quod duos alebat in Italia exercitus; alterum in Hetruriae finibus, cui Franciscus Maria Urbini Dux imperaret: constabat is sex Italorum, duobus Germanorum militum millibus, levioris armaturae mille ac trecentis.